beant, eosque a familiaritate et consortio discipulorum, a quibus fidei vel morum periculum imminere possit, seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arceant atque prohibeant. Hanc autem necessariam christianam institutionem et educationem liberis suis impertire quotquot parentes negligunt; aut qui frequentare eos sinunt tales scholas in quibus animarum ruina evitari non potest, aut tandem qui, licet, schola catholica in eodem loco idonea adsit, apteque instructa, et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt eam scholis publicis, sine sufficienti causa, ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat: eos si contumaces fuerint absolvi non posse in Sacramento Poenitentiae ex doctrina morali catholica manifestum est.

Haec instructio probata fuit feria IV, 24 Novembris 1875.

hayan puesto en sus manos, y en caso de que encontraren algo nocivo les proporcionarán el antídoto y los apartarán del todo y les evitarán la familiaridad y compañía de los condiscípulos por quienes pueda peligrar la fe y las costumbres, ó cuya conducta fuere mala. Todos los padres que descuidan impartir á sus hijos esta necesaria y cristiana instrucción y educación; ó los que permiten que frecuenten estas escuelas en que no puede evitarse la ruina de las almas; ó finalmente los que á pesar de que haya en el mismo lugar una buena escuela católica, debidamente organizada y dispuesta; ó que aunque tengan recursos para educar católicamente á los hijos en otro país, los envían sin embargo á las escuelas oficiales sin causa suficiente y sin las precauciones necesarias para que el peligro de perversión se haga de próximo, remoto; es evidente según la moral católica que éstos, si fueren contumaces, no pueden ser absueltos en el Sacramento de la Penitencia.

Esta instrucción fué aprobada el miércoles 24 de Noviembre de 1875.

5.

Litterae Circulares Sacrae Congr. Concilii ad Ordinarios Americae Meridionalis.

De Seminariorum regimine.

De clericorum seminariis agens S. Tridentina Synodus in sess. XXIII, cap. 23 de Ref., praescriptis pluribus, quae ad alumnorum admissionem et ad religiosam et litterariam eorum educationem spectant, haec addit: « Quae omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli, cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur saepius visitando operam dabunt.»

Pergens deinde ad ea quae oeconomicam administrationem respiciunt, statuit ut « iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat, «omnibus provideant, quae ad collegii fabricam instituendam, ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, ad alendam iuventutem et ad alios sumptus referuntur. »

Duplex itaque S. Synodus iubet adesse Consilium in seminariis constituendis et regendis, alterum pro re disciplinari, alterum pro temporali administratione, distincta personarum numero, electionis forma ac officio; etsi nihil vetat quominus duo canonici, qui in coetu sunt consultorum pro re oeconomica, ipsi ab Episcopo eligantur et deputentur etiam pro disciplina, dummodo muneris distinctio servetur.

Quae omnia quam sapienter ordinata fuerint, quisque facile intelliget qui secum reputet, quantum a prospero seminarii statu et a sana clericorum institutione profectus religionis pendeat: unde duplicem hunc consultorum ordinem adesse, qui in seminariorum regimine et administratione Episcopis adsit suppetias ferens, et in tanto ponderе sustinendo eisdem opituletur, nonnisi prudentissima cautio ac saluberrima provisio est. Eo vel magis quod Episcopi aut visitatione Dioecesis, aut aliis negotiis quibus necessario debent intendere, ita saepe occupentur, ut sui seminarii curae indesinenter vacare, et omnibus per se et directe consulere plerumque omnino impediantur.

Nec opponi potest exinde Ordinarios in expedita pii instituti gubernatione impediri; siquidem recepta regula est a S. C. C. inde ab anno 1585 tradita ac saepius deinde confirmata, ut Episcopi adhibere quidem deputatorum consilium teneantur, non item sequi. Sane in *Oscen.* mensis

Octobris 1585 S. C. censuit « sufficere quod Episcopus huiusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito posse Episcopum statuere et deliberare quae pro prudentia sua magis expedire iudicaverit. » Quod autem solummodo pro consilio stat, impedimento esse non potest; sed lumini potius directioni et auxilio inservit.

Noverint ergo Episcopi quanti intersit, quantoque studio satagendum sit, ut haec tam salubriter instituta lex executioni ubique demandetur, et fideliter servetur.

Quod si ex cleri defectu, aut ex gravibus aliis conditionum adiunctis, in quibus Americae Meridionalis Dioeceses versantur, haec omnia impleri non possint, universam legem corruere, aut eius observantiam in iis quoque quae possibilia sunt praetermitti pati non debent Ordinarii: sed S. Sedem adire opportune tunc poterunt, quae pro variis locorum circumstantiis et casuum diversitate consilio suo Episcopis aderit, et salva legis substantia, in iis quae ad formam pertinent opportuna temperamenta adhibere non omittet.

Pro viribus tamen nitendum, ut, si fieri potest, in omnibus lex vigeat, nihilque ex ea detrahatur; adeo ut uterque consultorum coetus ad praescriptam formam constitutus munere suo iuxta legem defungatur.

Quae vero sit electionis forma in deputatis constituendis servanda, ex adducto Concilii textu perspicue patet.

Nec minori claritate innotescit in quibusnam negotiis consultorum votum sit exquirendum; in omnibus scilicet quae tum ad disciplinam et educationem clericorum tum ad sumptuariam piae domus rationem spectant. Unde S. C. C. in *Oscen.* anni 1585 superius adducta declaravit: « Episcopum cum consilio deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam et mores clericorum, quam circa rerum temporalium administrationem providere..... exactionem vero quae fit pro seminario ad solum Episcopum spectare. »

Et in *Salernitana* mensis Iulii 1589 propositis dubiis:

« II. An eorum (duorum scilicet deputatorum super disciplina) consilium adhibendum sit tam in constituendis regulis universalibus seminarii, quam in electione puerorum singulorum introducendorum, in electione magistrorum, librorum legendorum, confessoris, punitione discolorum, expulsione, visitatione et similibus? »

« III. An alii quatuor sint deputandi, et deputati adhibendi sint in consilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione beneficiorum et in aliis difficultatibus ob quas seminarii instructio vel conservatio impediretur vel perturbaretur; an etiam in exactione et temporalium administratione tam dicti seminarii utputa, deputatione vel expulsione ministrorum et famulorum temporalium, expensis quotidianis, provisione bladorum; quam etiam bonorum quarumcumque et reddituum ipsius seminarii, etiam ex beneficiis unitis, utputa locationibus, concessionibus, aliisque contractibus et litibus? » responsum fuit:

Ad II: *In omnibus his esse adhibendum.*

Ad III. *Teneri Episcopum adhiberi deputatorum Consilium tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam temporalium rerum administrationem.*

Cum autem unus ex consultoribus, super temporalibus negotiis deputatus a clero sit eligendus, clerus ius suum exercere potest in Synodo, si haec tunc habeatur, prout doctores tradunt: aliter electio in peculiari totius cleri civitatis conventu est peragenda.

Omnium denique electorum munus perpetuum esse debere, et neminem nisi ex legitima causa amoveri posse, S. C. C. in cit. *Salernitana* anni 1589 resolvit, idque saepius deinde confirmavit.

Quod si ex morte, ex discessu aut ex alia iusta ratione alter eorum a suo munere cesset, eius subrogatio per eos facienda est per quos prior electio est acta.

Hae praecipuae sunt canonicae disciplinae capita, quibus deputatorum seminarii institutum continetur et regitur, quae de mandato Smi. D. N. Papae Leonis XIII, praesentibus S. C. litteris, omnibus Americae Meridionalis Ordinariis in mentem revocantur, ut consultissimae legis observantia, ubi obsolevit, restituatur, et ubi adhuc inducta non fuit, quamprimum in usum adducatur.

Datum Romae ex S. C. Concilii die 15 Martii 1897.

A. CARD. DI PIETRO,
Praefectus.

B. Archiep. NAZIANZENUS,
Pro-Secretarius.

6.

CONSTITUTIO APOSTOLICA
SS. D. N. LEONIS PAPAE XIII
DE PROHIBITIONE
ET CENSURA LIBRORUM.

——

LEO EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

Officiorum ac munerum, quae diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque haec summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si unquam alias, maxime est necessarium hoc

tempore, cum, effrenatis licentia ingeniis ac moribus, omnis fere doctrina, quam Servator hominum Iesus Christus tuendam Ecclesiae suae ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variae profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi: sed cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt, nihil enim cogitari potest perniciosius ad inquinandos animos per contemptum Religionis perque illecebras multas peccandi. Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturrime intellexit, remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda: ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet. Vehemens hac in re studium beati Pauli viderunt proxima originibus tempora: similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, iussa Episcoporum, Conciliorum decreta, omnis consequens aetas.

Praecipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint Romani Pontifices, ne haereticorum scripta, malo publico, impune serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I Pelagii, Leo magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere. Cognitae eadem de re sunt litterae *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit. Similiter, decursu aetatum, Monothelitarum, Abaelardi, Marsilii Patavini, Wiclefi et Husii pestilentes libros, sententia apostolicae Sedis confixit.

Saeculo autem decimo quinto, comperta arte nova libraria, non modo in prava scripta animadversum est, quae lucem aspexissent, sed etiam ne qua eius generis posthac ederentur, caveri coeptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua causa, sed omnino tutela honestatis ac salutis publicae per illud tempus postulabat: propterea quod artem per se optimam, maximarum utilitatum parentem, christianae gentium humanitati propagandae natam, in instrumentum ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X, decessores Nostri, certas tulere leges utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores librarios in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius oportuit malarum haereseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X, posteaque Clemens VII, gravissime sanxerunt, ne cui legere, seu retinere, Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes partes pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies, ampliore ac praesentiore remedio opus esse videbatur. Quod quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo post Tridentinae Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate iussuque lecti ad id praesules et theologi non solum augendo perpoliendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas: quibus Regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit.

Verum salutis publicae ratio, quae Regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem Romani Pontifices nominatimque Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV, gnari temporum et memores prudentiae, plura decrevere, quae ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt.

Quae res praeclare confirmant, praecipuas Romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fefellit operam, quam diu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex aeterna praefuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis praescriptiones, quae excidisse opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e Principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavit. Praeterea, propinquo iam Concilio magno Vaticano, doctis viris, ad argumenta paranda delectis, id negotium dedit, ut expenderent atque aestimarent Regulas Indicis universas, iudiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas,

consentientibus sententiis, iudicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliae extant hac de re litterae, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *illae Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur*. Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium, ut *Regulae Indicis... recenti revisioni et redactioni submittantur*. Qnibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures.

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane aequa postulant et cum materna Ecclesiae sanctae caritate convenientia. Etenim in tam celeri igeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litterae licentius excurrant: inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicae. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum: ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatae lectionis diligentissime recognosci Indicem; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus. Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur: quae quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus a sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt: quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrasanctae Tridentinae Synodi iussu editis, *Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida*, quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.

DECRETA GENERALIA

de prohibitione et censura librorum.

—

TITULUS I.
DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

CAPUT I.—*De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.*

1.—Libri omnes, qui ante annum MDC. aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2.—Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3.—Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4.—Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

——

CAPUT II.—*De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.*

5.—Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6.—Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

CAPUT III.—*De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.*

7.—Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.